



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude


Moguntiae, 1760

XVIII. De indultu, regalia, ceterisque regis Franciæ nominationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

sio, & pro beneficio censetur etiam pensio ob resignationem vel ipsum beneficium resignatum, quod intuitu *gradus* acquisitum fuit; de quo in provisionum literis mentio facienda. Si ad curam animarum admoventur, æque ac ceteri ab episcopo examinandi sunt ob summam laurearum & testimoniorum in academiis impetrandorum facilitatem. Itaque concilii Basileensis sapientissima, si illa tempora spectes, instituta hodie inutilia propemodum sunt ad *dignam beneficiorum collationem*. Nam & jus *graduatorum* infinitarum litium mater est, & qui omnium ardentissime ad gradus anhelant, nec sæpe satis docti, nec satis pii sunt. Britannia nostra hoc jus, ut reliqua pragmaticæ, ignorat. Concilium Tridentinum cum ceteris expectantiis² id aboleverat; paulo post tamen restitutum³.

- 1) *Edict. 1606. art. 30.* 2) *Seff. 14. Ref. c. 19.*
3) *Seff. 25. c. 9.*



C A P. X V I I I.

DE INDULTU, REGALIA, CETERISQUE REGIS FRANCIAE NOMINATIONIBUS.

I.

SUNT & aliæ nominationes per modum expectantiarum Franciæ propriæ. Quum enim Papæ expectantias sibi arrogassent, ceserunt eas nonnumquam regibus, ut hi ministros suos clericos providere possent. Sic pontifices Avenionenses sæpe regi, nonnumquam

Origo
indulti.

Q

reginæ ac regiis liberis, *indulserunt*, ut ministros suos nominarent ad beneficia olim vacantia: quod negotium nihil aliud fuit, quam *cessio expectantiarum*. Unde derivandum est *indultum* officialium senatus Parisiensis, cujus vestigia apparent *an.* 1303. in actis Bonifacii VIII. & Philippi pulchri; complementum autem in Bulla Eugenii IV. *an.* 1434. data. Quod, quum exolevisset, a Paulo III. 1538. restitutum est, cujus bulla est regula hodierna¹, licet omnes *reservationes*² abolitæ sint, & concilium Tridentinum *indultum*, de quo sermo, nominatim³ abrogaverit, licet⁴ restituere videatur.

1) *Mem. du Clergé part. 2. tit. 9.*

2) *in Pragmar. tit. 3. & Concord. tit. 8.*

3) *Sess. 14. c. 19.* 4) *Sess. 25. c. 5.*

quid indultum?

II. EST autem *indultum* nihil aliud, quam jus a pontifice regi comiter datum, quo cuilibet collatori consiliarium vel alium senatus Parisiensis ministrum nominat, cui beneficium necessario est conferendum. Minister ille semel tantum providetur, & collator semel tantum oneratur, vel, si non moritur, ut sunt universitates, semel, quoad rex vivit. Si minister est *clericus*, quod tempore concessi indulti solemne fuit, ipse nominari potest. Si *laicus*, aliam personam habilem laudat, a rege nominandam. Quumque beneficia sint vel *regularia* vel *secularia*; ad illa semper aliæ personæ & quidem *religiosi* nominandi fuere: quod nonnumquam collusionibus ansam dedit. Hinc Clemens IX. *an.* 1668. permisit, ut be-

beneficia regularia possiderent ceu *commendas*, eosque demum *repletos* esse censuit, qui quotannis DC. libras meterent, quum antea CC. contenti agerent.

III. SIMULATQUE regia literæ indulti indices collatori traditæ sunt, collator vincit^{quam utile f} est, & *indultarius* intra sex menses beneficium petere, nec a pontifice præveniri potest, ex quo petiit. Præfertur etiam graduatis, quum indultum ad ejusdem generis beneficia extendatur. Si collator tergiversatur, adeundi sunt *executores mandati apostolici*, videlicet Abbas S. Magalorii h. e. Parisiensis archiepiscopus, & abbas S. Victoris seu cancellarius universitatis.

IV: HABET rex etiam alia jura nominandi ad beneficia recta via, scilicet jus *auspicati ingressus in regnum*, quo ad regni gubernacula admotus primam, quæ in singulis cathedralibus vacat, præbendam libere conferre potest: *nominationes regis Franciæ propriæ.* jus *præstiti juramenti fidelitatis*, quo præbendam primam vacantem, quam novus Episcopus conferre potest, ipse confert. Quæ jura tuetur sanctius consilium^r.

1) *Mem. du Clergé part. 2. tit. 8. declar. 1612. & 1646.*

V. HABET denique jus *regalia*, quod hodie ad beneficiorum collationem est restrictum, quum olim extenderetur ad omnes vacantis episcopatus fructus, quos rex suos fecit, ut dominus fructus feudi, donec feudum renovatum & laudemium præstitum. Et quum ex communi canonum interpretum sententia *Jus regaliæ, olim in fructibus vacantium episcopatum percipiendis positum.*

collatio in fructu censeatur, regalia etiam ad *collationes beneficiorum* extensa est. Sed jam pridem rex regalia intuitu fructuum uti desit, quos Ludovicus IX. & Carolus V. sacello Parisiensi attribuit; Ludovicus autem XIII. an. 1641. postquam eorum loco huic sacello abbatiam Nicasii Rhemensem dedisset, publico edicto novis episcopis se daturam promisit, sed an. 1644. sibi appropriavit, licet hodie rex eos plerumque novo donet Episcopo¹.

1) *Mem. du Clergé part. 2. tit. 6. n. 24.*

hodie re-
stringitur
ad bene-
ficia va-
cante se-
de confe-
renda,

VI. *JUS* regalæ itaque in sola *beneficiorum*, quæ Episcopo deberentur, dispositione consistit; sed tamen omnis generis beneficia, si *curas* exceperis, complectitur, miris modis extensum a senatu Parisiensi, qui solus est harum causarum iudex competens. Sufficit beneficium vacare de facto, aut de jure, h. e. titulum vel non possidere, vel possessorem non esse titulum. Regalia enim, quod aiunt, non admittit fictionem¹. Rex accipit in ipsius gratiam factas resignationes & pensiones assignat, a curia tamen Romana adprobandas. Prævenit etiam *patronum ecclesiasticum*, & ipse a nemine prævenitur, nec instar ordinarii collatoris solum, sed instar Papæ agit: quoniam, ut aiunt, non habet superiorem. Sed maxime ampliari cœpit, quum novissime per totum regnum obtinere debere asseveratum est.

1) *Louet. R. 47. junct. Brod.*

per to-
tum re-
gnum.

VII. OLIM enim distinguendum erat inter Ecclesias *subjectas* & non *subjectas*. Sed

advocati regii regaliam venditarunt pro jure regni inalienabili & impræscriptibili, cui comitum Tolosæ aliorumque Parium renunciations nocere non possent^r. Anno 1608. senatus Parisiensis in causa Ecclesiæ Bellovacensis sententiam tulit, qua asseritur, regaliam per *totum regnum* patere. Episcopi Septimanienses sanctius consilium adierunt, & causa per LX. annos & amplius disceptata est. Denique an. 1673. Ludovicus XIV. litem decidit, regaliamque in omnibus locis valere edixit. Huic sententiæ quum clerus universus an. 1682. congregatus precibus obviam iret, alio edicto rex declaravit, quomodo in posterum jure suo uti vellet. Nam quum antea, quia rex plenam collationem sibi arrogavit, beneficiati per literas regias non solum *præbendarum*, theologi, pœnitentarii & dignitum capitularium, quæ vel jurisdictionem vel animarum curam annexam habent, veluti archidiaconatum & decanatum, possessiones arriperent, nec facile esset ad intelligendum, quomodo rex missionem & spiritualem auctoritatem his donare posset, licet semper & ipsis Ludovici S. temporibus ea consuetudo prævaluerit; hoc edicto rex voluit, ut, quos beneficiis, *jurisdictionem* aut *spiritualem functionem* annexam habentibus, providisset, ii vel a vicariis capituli generalibus, vel a novo Episcopo, si jam inauguratus est, post examen rigorosum, quo succumbentes veluti inhabiles & indigni rejici possunt, assensum & missionem canonicam impetrarent. Præterea declaravit, usurum se vi regaliæ jure Episcopi, ad eum mo-

dum, quo Episcopus eo usurus esset, non quo uti deberet, secuturumque cujusque Ecclesiæ consuetudinem in partitis inter Episcopum & capitulum collationibus. His modis adstrictum jus regaliæ ut toto regno reciperetur denique adsentus est clerus, exceptis tamen episcopatibus, qui titulo onerosa exemptionem sibi compararunt, & datis regi certis domaniis vel aliis terris onus illud redemerunt. Perdurat autem jus regaliæ quousque novellus Episcopus literas *absentatorias* (*main-levée*) a camera rationum impetraverit, quod fit, quum formulam jurisjurandi regi præstiti homologandam offert: quæ literæ post regiis præfectis in provincia significandæ sunt. De nominationibus ad episcopatus & abbatias, quæ regi per concordatum competunt, jam dictum est. Atque hæ sunt illæ personæ, quæ more hodierno jus ad beneficium dare possunt.

1) *Louet, R. 58.*



C A P. XIX.

DE QUALITATIBUS AD OBTI-
NENDA BENEFICIA NECES-
SARIIS.

I.

Ad bene-
ficia ad-
mittun-
tur

x. regula-
res ad re-
gularia,

BENEFICIUM non nisi personis *habilibus* est conferendum. Si adhuc primario spectaretur officium, ob quod datur beneficium,abilitas illa facile æstimari posset ex iis, quæ *Part. I.* diximus. Sed postquam beneficiales causæ in judicium deduci cœperunt; habili-